



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Benefactores Hvivs Monasterij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

Regū vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma eidem Ecclesiæ & illibata permanere, ita ut nulla Ecclesiastica, secularisue persona aliquid exinde minuere vel auferre præsumat. Decernimus præterea, ut Ministeriales matricis Ecclesiæ, pro remedio & salute sua, suorumque, si voluerint, prædia sua libere eidem loco conferant, sine nostra & omnium Successorum nostrorum, Ratisponensium Episcoporum contradictione: De beneficiis verò, pro nostra Successorumque nostrorum voluntate & cessione fiat. Ut aut. Præpositus & fratres eiusdem loci omnipotentis Dei seruitio vacare liberius valeant, ab omni exactioe rerum temporalium liberos eos & quietos de cætero esse decernimus. Obeunte verò Præposito eiusdem loci, nullus inibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres eiusdem loci communi assensu, aut fratrum pars concilij sanioris, secundum Dei honorem & B. Augustini regulam, præviderint eligendum. Esi idoneus in claustris proprio, quod absit, non inueniatur proprii Episcopi & Præsidentium consilio & auxilio aliunde obtineatur. Baptismum quoque & sepulturam ipsius loci omnino liberam esse decernimus, ut eorum, qui illic sepeliri delibauerint, deuotioni & extremæ voluntati, nisi fortè excommunicati sint, nullus obsistat. Adiciamus insuper, ut de progenie fundatorum eiusdem loci Aduocatus habeatur, qui forte rerum Ecclesiasticarum dissipator, & fratribus ipsis onerosus vel importunus extiterit, ab Episcopo canonicè commonitus, si incorrigibilis est, abiiciatur, & alter de progenie fundatorum; consilio præsentium idoneus substituatur. Quod si idoneus in successione inueniri non poterit, vel successio fundatorum defecerit, ad extraneum quemcunque idoneum Aduocatus transferatur. Denique si qua forte præpotens persona locum prædictum destruxerit, & Canonicos violenter eiecerit, fundatores vel eorum hæredes, bona quæcunque ab eis præfata Ecclesiæ contradita sunt, non in proprios usus retorqueant, sed sine distractione custodiant, eiectis fratribus omnimodis profutura. De cæteris autem bonis, quæ eidem Ecclesiæ aliunde peruenerunt, Canonici matricis Ecclesiæ in eundem modum prouideant. Si quis autè huic nostre constitutioni temerè contraire temptauerit, secundò tertioque commonitus, si non præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, anathema sit, atque à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat, atque in extremo districtæ ultioni subiaceat, cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, gratia & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiât, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Acta sunt hæc Anno M. C. XLIII. 7. Calend. Nouemb. indictione sexta.

BENEFACTORES HVIVS MONASTERIJ.

HEINRICVS de Haizkhouen Ministerialis Ecclesiæ Ratisponensis vxor Beatrix filij, Conradus & Heinticus, dederunt aliqua bona Monasterio, Henricus Miles de Drupach, Conradus Miles de Pünneckhouen. Extant ibidem literæ, Anno 1220.

CAPITVLVM Ratisponensis maioris Ecclesiæ dedit huic Monasterio Parochiam in Leurendorff, anno 1297.

CONRAD de Turteneld instituit ibi anniuersarium, an. 1297. Testes, Fridericus de Rorbach, Fridericus Seeman, Vlricus Miles, & Henricus fratres, dicti Zieglhauser.